



## Over dit boek

Dit is een digitale kopie van een boek dat al generaties lang op bibliotheekplanken heeft gestaan, maar nu zorgvuldig is gescand door Google. Dat doen we omdat we alle boeken ter wereld online beschikbaar willen maken.

Dit boek is zo oud dat het auteursrecht erop is verlopen, zodat het boek nu deel uitmaakt van het publieke domein. Een boek dat tot het publieke domein behoort, is een boek dat nooit onder het auteursrecht is gevallen, of waarvan de wettelijke auteursrechttermijn is verlopen. Het kan per land verschillen of een boek tot het publieke domein behoort. Boeken in het publieke domein zijn een stem uit het verleden. Ze vormen een bron van geschiedenis, cultuur en kennis die anders moeilijk te verkrijgen zou zijn.

Aantekeningen, opmerkingen en andere kanttekeningen die in het origineel stonden, worden weergegeven in dit bestand, als herinnering aan de lange reis die het boek heeft gemaakt van uitgever naar bibliotheek, en uiteindelijk naar u.

## Richtlijnen voor gebruik

Google werkt samen met bibliotheken om materiaal uit het publieke domein te digitaliseren, zodat het voor iedereen beschikbaar wordt. Boeken uit het publieke domein behoren toe aan het publiek; wij bewaren ze alleen. Dit is echter een kostbaar proces. Om deze dienst te kunnen blijven leveren, hebben we maatregelen genomen om misbruik door commerciële partijen te voorkomen, zoals het plaatsen van technische beperkingen op automatisch zoeken.

Verder vragen we u het volgende:

- + *Gebruik de bestanden alleen voor niet-commerciële doeleinden* We hebben Zoeken naar boeken met Google ontworpen voor gebruik door individuen. We vragen u deze bestanden alleen te gebruiken voor persoonlijke en niet-commerciële doeleinden.
- + *Voer geen geautomatiseerde zoekopdrachten uit* Stuur geen geautomatiseerde zoekopdrachten naar het systeem van Google. Als u onderzoek doet naar computervertalingen, optische tekenherkenning of andere wetenschapsgebieden waarbij u toegang nodig heeft tot grote hoeveelheden tekst, kunt u contact met ons opnemen. We raden u aan hiervoor materiaal uit het publieke domein te gebruiken, en kunnen u misschien hiermee van dienst zijn.
- + *Laat de eigendomsverklaring staan* Het “watermerk” van Google dat u onder aan elk bestand ziet, dient om mensen informatie over het project te geven, en ze te helpen extra materiaal te vinden met Zoeken naar boeken met Google. Verwijder dit watermerk niet.
- + *Houd u aan de wet* Wat u ook doet, houd er rekening mee dat u er zelf verantwoordelijk voor bent dat alles wat u doet legaal is. U kunt er niet van uitgaan dat wanneer een werk beschikbaar lijkt te zijn voor het publieke domein in de Verenigde Staten, het ook publiek domein is voor gebruikers in andere landen. Of er nog auteursrecht op een boek rust, verschilt per land. We kunnen u niet vertellen wat u in uw geval met een bepaald boek mag doen. Neem niet zomaar aan dat u een boek overal ter wereld op allerlei manieren kunt gebruiken, wanneer het eenmaal in Zoeken naar boeken met Google staat. De wettelijke aansprakelijkheid voor auteursrechten is behoorlijk streng.

## Informatie over Zoeken naar boeken met Google

Het doel van Google is om alle informatie wereldwijd toegankelijk en bruikbaar te maken. Zoeken naar boeken met Google helpt lezers boeken uit allerlei landen te ontdekken, en helpt auteurs en uitgevers om een nieuw leespubliek te bereiken. U kunt de volledige tekst van dit boek doorzoeken op het web via <http://books.google.com>



DE  
NIOBIDARUM COMPOSITIONE.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE  
FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VI. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

BRUNO MEYER  
KEMPENSIS.

---

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

PAULUS GOLDSCHMIDT, DR. PHIL.

GUSTAVUS LE VISEUR, CAND. PHIL.

OTTO HOFFMANN, CAND. PHIL.



---

BEROLINI  
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.



**D I S M A N I B U S**

**PATRIS DILECTISSIMI**

**LUDOVICI MEYER**

**SACRA.**

Digitized by Google

DE  
NIOBIDARUM COMPOSITIONE  
DISSERTATIONIS SPECIMINA.

---

Quum jam primo studiorum meorum semestri Ernestus Guhl, subtilissimus artis operum existimator, et quo (quamquam non ut optabam diu ejus consuetudine fru-  
licitum est) praceptor eius sum et egregie perito et  
in me tironem amabiliter benevolo, ad ea quae ad Nio-  
bes et Niobidarum statuas pertinent studia me impulerit,  
semper praecipua cum voluptate et ea qua par est in  
summis Graecae artis operibus explorandis diligentia  
omnia perlustravi et collegi, quae quum ad has statuas  
melius cognoscendas, tum ad quaestionem illam per-  
difficilem de compositionis earum ratione solvendam vel  
minimi videantur esse momenti. Sed ut saepe in tiro-  
num exercitationibus fieri solet, ut imperiti multarum  
rerum molem, quae iis vel in levi arguento funditus  
perspiciendo occurrit, superare non possint, ita ne ego  
quidem fore putabam, ut rerum varietatem coegerere pos-  
sem, neque quidquam ex his studiis ad communem  
fructum posse proferre mihi videbar, quum praesertim  
sententiam meam de his rebus satis jam confirmatam

et ab omnibus fere summatim certe acceptam esse intelligerem, quamvis a nonnullis per singulas species haud ita leves dubitationes prolatae essent. Qua de causa jam aliis studiis me dederam, nihil tamen omittens, quod ad hoc argumentum longa consuetudine carum pertineret, quum medio anno priore Starkii liber in lucem prodiit<sup>1)</sup>), qui summa cum diligentia et ea copia, quae quantumvis in Niobes fabula, qualis et litteris et monumentis expressa est, tractanda desideretur, tamen nondum in eam collata est, de Niobe et Niobidis agit. Qui liber ut ipse ex ea cogitatione originem duxit (p. 25), hanc quaestionem ad historiam artis veteris melius cognoscendam tam utilem et gravem<sup>2)</sup> ex tanta dubitatione ad certum exitum promovendam esse, ita etiam mihi ostendit, operae pretium facere eum, qui studium novum et inquisitionem redintegratam huic quaestioni de Niobidarum compositione aptissima vel potius necessaria admoveat. Tantum enim abfuit, ut

<sup>1)</sup> Niobe und die Niobiden in ihrer literarischen, künstlerischen und mythologischen Bedeutung. Leipzig 1863. De quo libro vide Conradum Bursian, Litterarisches Central-Blatt. Leipzig 1864. No. 1; et Ernestum Curtius, Göttingische gelehrte Anzeigen. 1864. No. 1.

<sup>2)</sup> Jam Spence, Polymetis, II. ed. London 1755. p. 99, hanc disquisitionem haud indignam existimavit esse, quae ab Academia Parisina cum promisso praemio proponeretur, nec non Böttiger, Andeutungen zu 24 Vorlesungen über Archäologie, Dresden 1806, p. 174, et Braun, Ruinen und Museen Roms, Braunschweig 1854, p. 512, hoc potissimum modo pro difficultate et gravitate rei huic argumento consultum iri censuerunt, qua in quaestione Braunio judice jam satis esset exploratum,

quae Stark contra Cockerellii<sup>3)</sup> et Welckeri<sup>4)</sup> sententiam proferret, et quibus suam ipsius opinionem firmare conaretur mihi satisfacere viderentur, ut magis quam ante umquam illorum sententiam omnibus rebus munitam multisque rationibus nondum exhibitis comprobandum esse mihi persuasum esset. Accedit quod, quum eo usque contentus ea re esse possem, quod sententia, quam assectatus eram, levioribus tantum dubitationibus vexata, tamen quod ad rationem a plerisque fere recipiebatur, et, ut nostrates dicunt, ultimum discussionis verbum obtinuerat, Starkii libro ex hac quiete jucundissima exterritus sum. Etenim posteaquam nova adhac et inaudita contra Niobidarum in frontispicii spatio dispositionem in medium protulit, atque etiam primus post Welckerum novum compositionis genus minime mihi probatum illi rationi opposuit, multo magis quam Stark antea meo jure dicere posse putavi, nos in Niobidis iniqua conditione uti („der Niobegruppe in einer ungünstigen Situation gegenüberstehen“ p. 25), et necessarium esse, disquisitionem de hac quaestione nunc demum in discrimen atque errores inducta denuo redin-

---

si quis quid hac in re dignosci posset („die Gränzen des Wissbaren“) evidenter circumscriberet.

<sup>3)</sup> Le statue della favola di Niobe. Firenze 1818. Antea jam magnam chartam ediderat a. 1816, quae restitutionem et annotationes easdem continuit atque hic libellus.

<sup>4)</sup> Alte Denkmäler. Göttingen 1849 sqq. vol. I. p. 209—314: Ueber die Gruppierung der Niobe und ihrer Kinder; cum tabula IV. Quae dissertation aucta et emendata repetita est ex ephemeridibus, quibus nomen est: Rheinisches Museum. Neue Folge. 1836. IV. pag. 233—308.

tegrari. Id quod eo mihi magis fieri non modo posse, sed debere etiam est visum, quod facile aliquis in illum errorem posset incidere, ut opere tam amplio talem quaestionem quantum omnino potest absolutam putaret. Quod ut fiat quum tantum absit, ut etiam magis in incertam rationem rem adduxisse Stark videatur, statim rem denuo attingere juvat, ut ne in tam falso et pravo iudicio intempestivo secus sentientium silentio fiat suspicio, illius opinionem invaluisse, aut rationem ab illo rejectam tueri jam qui eam professi sint non posse. Itaque statim in animum induxi de hoc argumento dissertationem scribere, neque quidquam mihi acceptius accidere potuit, quam ut amplissime philosophorum ordini aliquid in hoc argumento profecisse viderer. Et majorem quam sperare ausim ex labore meo voluptatem percipiam, si forte contigerit mihi ita rem propositam tractare, ut eluceret, Welckeri ingenium, ut Stark ipse antea agnovit<sup>5)</sup>), in cognoscendis sculpturae veteris legibus hac quasi inventione mirum quantum nos provexisse, et ut majore quam nunc jure dicere possimus, quod Hettner<sup>6)</sup> jam anno 1850 enunciare conatus est, quaestionem de Niobidarum compositione vix inter controversas esse numerandam.

---

<sup>5)</sup> Zeitschr. für die Alterthumswissenschaft 1850, in recensione de Welckeri libro „Alte Denkmäler“, p. 524.

<sup>6)</sup> Ibid. in alia ejusdem libri recensione, p. 71.

Multi quidem post Welckerum de hac materia egerunt, partim consentientes partim dissentientes; sed praeter aliquot tympani Welckeriani emendationes ne unus quidem certas compositionis rationes dedit, praeter Starkium p. 326—36, secundum quem hae statuae septendecim numero (quattuordecim liberi, Niobe, Paedagogus, Nutrix) in intercolumniis porticus alicujus positaे fuerunt, sive in uno latere sive in tota undique porticu fuerunt (p. 330 sq.) dispositae. Quinque autem compositiones minores fuisse putat (p. 335): Nioben cum filia, quae medianam partem occupet; compositionem Noviodunensem, i. e. Paedagogum cum filio minimo, quae dextram, et Nutricem cum filio genu nixo<sup>7</sup>), quae sinistram teneat; compositionem Vaticanam, et filium in dextram fugientem cum Psyche, quae vulgo dicitur, conjunctum<sup>8</sup>), quae compositiones inter medias illas ponantur. Status vero septem numero non distincte disponit, sed innuit tantum, ut ab utraque matris parte filiae Florentinae fugiens et vulnerata ponantur, filius in dextram fugiens aut ab alio latere aut filia interjecta post compositionem Vaticanam, cet. Filiarum numerum praeter quattuor Florentinas (cum Psyche) et .

<sup>7</sup>) Miratur jure, qui haec hoc loco legat, quod nunc compositionem a Muellero, Denkmäler der alten Kunst, I. tab. XXXIII, d e, inventam accipit, quam p. 277 rejecerit; tum ei magis placebat compositio Nutricis cum Narciso, cuius rei oblitus videtur esse.

<sup>8</sup>) Hanc non veram compositionem esse, non artissimam conjunctionem habere, sed compositionis rationi accedere tantum p. 248 dixerat. Neque hanc vult, si in quattuor porticus partibus statuae nostrae disponantur. Filium a sinistra parte conspicendum esse putat.

Vaticanam parva illa Parisiis asservata in Museo publico<sup>9</sup>), et jam non reliqua quidem, sed quae fugient filiae anaglyphi Campanensis<sup>10</sup>) a tergo conspectae respondeat, explet. Quum per se eluceat, huic restitutioni, utut est imperfecta, magnum attribuendum esse momentum, ut quae rejecta, quae magno doctorum consensu accepta erat, compositionis ratione, plane novam cogitationem contineat maximis studiis nixam, accuratius mihi Starkii sententia consideranda erit.

Quae restitutio copiosa et diligentissima omnium de Niobidis quaestionum praemissa dissertatione totius disquisitionis fructus quasi sponte natus<sup>11</sup>) videri debet. Itaque quum omnium maxime argumentis unde non collatis, et quorum pars non parvum videatur habere momentum, Niobidarum in frontispicio ponendarum rationem impugnaverit, et omnium accuratissime suam ipsius sententiam summa cum eruditione et alibi feliciori animi sagacitate confirmare studuerit, huic restitutioni majus prioribus attribuendum est pondus, et plus temporis in ea commorandum. Duae igitur hujus commentationis partes videntur esse, altera, quae de tota compositionis ratione agat, altera, quae sit de singularium statuarum dispositione et delectu. Sed priorem tantum tractabo, quum praesertim in ipsa restitutione apud Starkium non accurate omnia definita sint, et quae falsa hac ratione videantur, facile appareat.

Ab eo igitur proficiscitur, p. 326, ut aut Scopae aut

---

<sup>9</sup>) Clarac, Mus. de Sculpt. tab. 323, 1262.

<sup>10</sup>) St. tab. III, 1. p. 165 — 173.

<sup>11</sup>) V. imprimis St. p. 25 et p. 314.

Praxiteli nostram compositionem vindicandam esse dicat. Quorum eo potissimum natam esse gloriam, p. 327, quod marmore primi in compositionibus solutis usi sint, qua in re Attica schola posterior eos secuta sit. Ante omnia autem dicit, p. 328, Danaidum illarum rationem esse habendam, quae inter columnas templi Apollinis Palatini dispositae prostabant. Sed hoc artis incrementum, p. 329, cum majore desiderio amatorum cohaerescit ex locis quibusdam novis orto, quae decoratione plastica egeant, et compositionibus amplis pateant. Inter quas praeter porticus artis operibus publice proponendis destinatas primo loco monumenta sive funeralia sive triumphalia numeranda sunt, ut Mausoleum Halicarnassense et monumentum quod vulgo a Nereidibus nomen duxit Xanthicum, p. 330, cuius intercolumnia in restitutionibus a Carolo Fellows<sup>12)</sup> et Eduardo Falkener<sup>13)</sup> factis singulas Nereidum statuas circum ruinas inventas complexa sunt. Itaque etiam Niobidarum statuas, p. 330—31,

<sup>12)</sup> William Watkiss Lloyd, Xanthian marbles. London 1845. Charles Fellows, Account of the Ionic trophy monument excavated at Xanthus. London 1848. Exemplum hujus restitutionis est in Museo Britannico. Cf. Gerhard, Archäologische Zeitung. Berlin 1844. No. 22 sq. Ernestus Foerster in: Kunstblatt, Stuttgart 1845. No. 77 sq. cum tabula (3).

<sup>13)</sup> Edward Falkener, On the Ionic heroum at Xanthus now in the British Museum; in: The Museum of classical Antiquities. London. I. 1851. p. 256—284, cum tabulis. Cf. Urlichs, in: Verhandlungen der 19. Versammlung deutscher Philologen etc. in Braunschweig 1860. Leipzig 1861. p. 61 sqq. cum tabula secundum Falkenerium delineata, sed ab illius ratione paullum recedenti.

sodem modo dispositas fuisse omnes concessuros esse putat, quum praesertim secundum illius judicium ipsorum signorum pulchritudo hac dispositione augeatur.

Sed non miror, hucusque neminem hanc sententiam annissee<sup>14)</sup>), vix enim omnes rationes enumerare licet, quibus irrita fit, quum ipsa Starkii ratiocinatio minime conclusionibus certissimis gloriari possit, et levissimo vinculo partes cohaereant, ita ut, etiamsi omnes terminos praemissos concederemus, tamen illae conclusiones non necessariae essent, sed posset tantum recte se habere illius sententia.

Primum enim non facile fuerit, quin miretur, Starkium in tali re compositionum varia genera plane neglexisse, neque ullo modo demonstrasse, quo jure qui in Danaidibus probari, in Nereidibus cogitari possit compositionis modus, etiam in Niobidis adhiberi potuerit<sup>15)</sup>). Danaides enim et Nereides sanguinis tantum necessitudine continentur, et per se quaeque valent, ita ut compositionis socialis aptissimum sint argumentum. Neque enim probari potest, quod Stark de dramatico et pathetico Danaidum habitu dicit<sup>16)</sup>), qui certe nullo modo esse potuit, si totus filiarum numerus, i. e. quin-

<sup>14)</sup> Neque Bursian l. l. neque Curtius l. l. eam probavit.

<sup>15)</sup> Otto Jahn, Ueber die Danaiden im Tempel des Apollo Palatinus, in: Archäologische Aufsätze, p. 22—30. „Ohne Zweifel ist diese Aufstellung (inter columnas ut Danaides) nur geeignet für Gruppen, welche Levezow (Familie des Lykomedes, Berlin 1804. p. 18) gesellschaftliche nennt.“ p. 24.

<sup>16)</sup> Etiam O. Jahn l. l. p. 24 de arto dramatico contextu loquitur, quod certe cum loco priore annotatione allato non convenit.

quaginta, propositus fuit; id quod ex vocabulis „turban“<sup>17)</sup> et „agmen“<sup>18)</sup> multam habere videtur verisimilitudinem<sup>19)</sup>. Idem enim artificis peccatum esset, quod lepida dissimulatione Lessing<sup>20)</sup> in Voltarii Semiramide commissum illudit: idem affectus per tot figuratas satis variatus exprimi non potest, totiens repetitus taedium commovet. Sed ne ita quidem Danaidum compositio dramatica potuit esse, ut parvo numero filiarum turba sit representata<sup>21)</sup>, nam duabus rationibus mihi constat<sup>22)</sup>, Danaides cum patre ante consobrinorum caedem intelligendas esse, eo fortasse tempore, quo Aegyptiadas se persequi sentirent, quum post facinus propositas aliter veterum loci commemorarent<sup>23)</sup>, in quibus quaerendam de virginibus teneris voluptas potest sentiri; alteram autem rationem mox proponam. Si vero ante facinus, et, ut Stark videtur putare, a patre ad necandos propinquos

<sup>17)</sup> Propert. Eleg. II, 31, 4.

<sup>18)</sup> Ovidii Amor. II, 2, 4.

<sup>19)</sup> Jahn l. l. p. 22 sq. his etiam magnum columnarum numerum addit, quarum intercolumnia explenda erant.

<sup>20)</sup> Hamburgische Dramaturgie, fasc. 11; Lessing's Werke, ed. Lachmann, vol. VII, p. 52.

<sup>21)</sup> Ut de Ramdohr, Malerei und Bildhauerarbeiten in Rom. Leipzig 1787, 1798. vol. II, p. 146 in Niobidis factum esse putabat.

<sup>22)</sup> Etiam Stark ita censet p. 328.

<sup>23)</sup> Certe secundum Ovidium, Art. Amet. I, 73 sq., „parare necem miseris patruelibus ausae Belides“ in porticu stabant, sed hoc non ita interpretandum est, ut post commissum facinus fuerint, sed notantur ut quae secundum fabulam illud nefandum facinus subierint; ausae sunt ante Ovidium, non jam ante tempus statuis representatum.

impulsae et horrendo postulato perterritae erant propositae<sup>24</sup>). (et hoc ante commissum facinus gravissimum fabulae et maxime commotum momentum est), omissa dubitatione, quam jam de majore numero protuli, ne hoc quidem actionis dramaticae vim habet, nihil enim agitur, neque in sculptura ut in poesi verba et orationes compositionem movere possunt. Accedit quod hac conditione pater stricto ense incedens<sup>25</sup>) paene absurdus esset, et ad persuadendum filiabus minime aptus. Solum autem compositionis dramaticae argumentum de Danaidum fabula hauriendum est, quum praetermissa nocte mystica pater in filiam Hypermnestram, quae sola ei non erat morigerata, saeviat atque ei et genero Lynceo minetur mortem. Sed hoc non nostrae statuarum seriei est.

Constat autem ex Ovidio<sup>26</sup>), singulas Danaidum statuas inter columnas porticus stetisse; quod non ita constat de Nereidibus. Sed concedamus hoc ad tempus, tamen nihil aliud neque sunt neque esse possunt, quam compositio socialis, quamvis singulæ statuae magnam emotionem et paene excitationem præbeant<sup>27</sup>).

Sed quaerendum, quae sit illa componendi statuas ratio. Potest igitur statuarum collectio nulla actione

<sup>24)</sup> O. Jahn l. l. p. 24 hoc „ein dankbarer Vorwurf für den Künstler“ fuisse existimavit; quod equidem minime contenderim.

<sup>25)</sup> Ovid. Trist. III, 1, 62. Art. Amat. I, 74.

<sup>26)</sup> Trist. l. l. cf. Propert. Eleg. II, 31, 3.

<sup>27)</sup> Quod in socialibus compositionibus et in singulis statuis nihil ad compositionis naturam attinere, dummodo in se sufficientiam habeant, alio loco accuratius exposui.

cohaerentium, sed quadam necessitudine conjunctarum<sup>28)</sup> intercolumniis porticus sive peristylii contineri. Sed columnis interpositis omnis cohaerentia et contextus inter statuas tollitur, neque restant nisi statuae singulae plane per se perfectae ejusdem aut similis argumenti, compositio autem talis collectio non jam est neque ullo modo dici potest. Sed praeterea plane in architecturae ditionem sculpturae opera sic veniunt, aliis igitur legibus addicta sunt, quam libera sculptura, de qua in Niobidis quaestio est. Jam his eluceat, Niobidas, qui necessario compositionem efficient, neque alias quam innatas sculpturae leges oleant, hoc modo disponi non posse.

Accedit quod, quae exempla argumentorum natura ad Niobidarum componendorum rationem inveniendam nihil valere vidimus, per se nulla fide digna sunt. Nam taceo, Danaidum nisi apud poetas et apud Acronem scholiastam<sup>29)</sup> ne ipsum quidem multa fide dignum mentionem non fieri; id enim apparent, tale opus fuisse. Nam et Propertius et Ovidius quum talibus in rebus fidi sunt, tum certe operis ut Romae in celeberrimo templo collocati praesertim tam crebro mentionem facere non potuissent, nisi fuisse. Sed tamen quae Acron tradit, certam superlationis speciem prae se ferunt<sup>30)</sup>, nam jam in solis Danaidibus mirari possumus, Plinium tantum opus et ab Augusto quidem dicatum<sup>31)</sup> silentio

<sup>28)</sup> Et ne hoc quidem in hoc genere plane necessarium est.

<sup>29)</sup> Schol. ad Persii sat. II, 56.

<sup>30)</sup> Stark p. 141. Cf. O. Jahn l. l. p. 23, qui Aegyptiadas sermone populi ortos esse censet.

<sup>31)</sup> Propert. Eleg. II, 31, 2.

praeterisse, in quinquaginta statuis equestribus filiorum Aegypti iis oppositis non posset intelligi, nam talis collectio etiam mediocri arte perfecta inter miracula fere mundi debebat numerari, atque eadem certe laude digna erat, quam Scopae thiaso marino tribuit: „praeclarum (sc. numero statuarum et ingenti labore) opus etiamsi totius vitae fuisset“<sup>32</sup>). Nihilo vero secius in his Acronis commentis aliquid gravius inest. Docent enim, eum Starkio melius argumentum cognovisse, nam non modo ante facinus virgines esse propositas ex eo sequitur, quod vivi Aegyptiadae cum iis junguntur, cuius rei hoc quidem alterum et maximum et quod refelli non possit argumentum est; sed etiam antequam Aegyptiadae cum Danao de nuptiis pacti essent, ex modo, quo iis oppositi erant. Tum vero recte vidit, Danai „πάθος“ causam requirere extra eum jacentem, neque aliquo furore in absentes suis ipsius verbis commoto, sed inimicorum ipso aspectu ortum esse.

Sed etiamsi fuerunt, et etiamsi Romae „alterna columnis“ (l. l.) signa steterunt, tamen hoc exemplum nulla argumenti vi utitur, patet enim<sup>33</sup>), hoc monumentum non ad hoc templum Apollinis Palatini illustrandum sculptum esse, sed aliunde advectum, ubi statuas aliter atque Romae dispositas fuisse, nihil obstat, quominus existimemus; et fortasse primo lineam curvatam effece-

---

<sup>32</sup>) Plin. XXXVI, 5, 4, § 26. Quae laus ipsum auctorem Plinium non laudat. V. qui acerbe sed optime eum castigavit (Lohndiefer), Ottönem Jahn, über ein Marmorrelief etc. in: Ber. d. königl. sächs. Ges. d. Wiss. 1854. p. 176, not. 69.

<sup>33</sup>) Stark p. 141.

runt, solutae compositionis naturae aptam et consentaneam.

Quod vero in secundo exemplorum loco monumentum Stark posuit, id — scite licet et eleganter — ex fragmentis circa fundamentum dispersis et in loco monumentis referto inventis restitutum est, neque vero exactis et accuratis notis<sup>84)</sup> de singularum partium loco et scrupulosa monumentorum et ruinarum adjacentium inquisitione satis constat, omnia fragmenta in restitutione adhibita re et facto hujus monumenti esse, id quod maxime in ipsis Nereidibus quae dicuntur columnis interpositis etiamnunc quaeritur<sup>85).</sup>

Sed concedamus, utrumque monumentum recte se habere, tamen magis nostros Niobidas sic disponi ne posse quidem quam debere declarant. Aperte enim ipsae hae statuae leges sculpturae quodammodo architecturae conditionibus subjectae docent. Nam si ea mente statuarum series ab artifice quodam fabricantur, ut aedificii alicuius intercolumnia ornent, ita ex architectonices legibus pendent, ut sicuti ipsius aedificii partes summa cum severitate symmetriae et rhythmi legibus adstrictae sint. Etenim cum columnis si quae res certa mutatione et relatione junguntur, eae quasi inter partes architecturae recipiuntur, et quum inter columnas summa et formae et mensurae convenientia lex sit,

---

<sup>84)</sup> Hoc Caroli Fellows relationibus l. l. et in libro qui inscribitur: The Xanthian marbles. London 1843, factum esse non existimo.

<sup>85)</sup> Overbeck, Geschichte der griechischen Plastik. Leipzig 1857, 58. vol. II, p. 109 sq. hoc bene exposuit.

etiam statuae interpositae, ne partium omnium congruentiam aequalitatemque interrumpere videantur, hanc legem sequantur necesse est; quare saepe statuae architectonicum quendam rigorem et duritiem habent, id quod tum maxime et semper quidem accidit, quum in columnarum ipsum locum statuae supponuntur, ut fit in Caryatidibus et Atlantibus. Sed huic legi Niobidas nostros summopere repugnare omnes concedent, neque hac in re verba et tempus consumam; et si Stark aliquique frontispicio explendo magnitudinis inter statuas varietatem non sufficere contulerunt, tamen in intercolumniis multo magis ne haec quidem differentia ferri potest. Nereidas autem pari mensura esse aspectus docet<sup>26)</sup> Danaidas fuisse verisimillimum est.

Sed breviter exponendum tamen, quid intersit inter hanc sculpturae et architecturae relationem et illam sculpturae indigentiam, qua architectonices tutelam postulet. Tum igitur sculptura eas architecturae formas occupat, quae ab hac arte certis lineis circumscriptae vacuae relinquuntur, et quum per se architecturae vi omnes partes conformanti et configenti ademptae sint, spatium ideale plasticae arti praebere possunt, quod spatium ipsa forma sculpturae legibus est aptissimum. Sed spatium, quod inter columnas est, non ita circumscribitur, ut quandam per se habeat vim; sed quum ipsarum columnarum forma mollior sit, quam quae cer-

---

<sup>26)</sup> Certe Aemilio Braun teste, quem Gerhard, Archäologische Zeitung, 1844, fasc. 22 sq. affert, omnes praeter statuam quam p. 376 sub no. 5 minorem dicit esse, simili mensura proustant. Longum est hoc persequi.

tam confectionem efficiat<sup>37)</sup>), et quum spatium interpositum recessu careat, spatium quidem et fortasse ideale efficitur, sed non spatii idealis inclusa et finita imago, quam sculptura requirit. Accedit quod hic locus altissimus, sed non ita latus nulli plastices formae, ne statuae quidem stanti, consentaneus est, atque ita liberae sculpturae, quae spatium suum explere debeat, difficultates paene insuperabiles praebet.

Haec igitur exempla, quibus tota ratiocinatio nititur, plane nihil ad rem attinent, nisi quod nos in materia plane diversa versari ostendunt. Quas vero praeterea affert compositionum exempla, eorum praeter sola nomina et loca, ubi collocatae erant, nihil superest, ex quibus tamen id colligi potest, eas compositiones sociales fuisse; sunt enim figurarum series ejusdem gyri, interdum figuris ducentibus immixtis. Quarum compositionum dispositio prima cur ab aliarum compositionum socialium recesserit, neque Stark dieit, neque equidem intelligo; et si recessit, ad compositiones dramaticas restituendas hoc prorsus nihil valet. Neque vero nego, illas Romae aliter prostetisse dispositas, id quod, quum Romam decorationis et luxuriae gratia artis opera advehantur, non ut erudita existimatio compositionis insita vi atque elegantia fruatur, per se ne dissimile quidem veri est; sed opusne est dicere, hoc nos neque ducere neque irritare posse? Et ut ad compositionem Niobidarum a Plinio<sup>38)</sup> laudatam redeam, etiamsi Romae

---

<sup>37)</sup> Melius hoc pilis fit, quare templum in antis aut porticus pilis inclusa magis videtur esse definita (non tamen ea ipsa re pulchrior).

<sup>38)</sup> Plin. XXXVI, 4, 5, § 28.

eam inter columnas vel simili vel dissimili modo collocatam fuisse aliquo modo constitui posset, tamen hoc neque ad Starkii conformationem neque ad frontispicium restituendum neque daret aliquid auctoritatis neque adimeret. Hoc tamen secundum nos constat, eam, si opus a Plinio laudatum simili nostrae compositioni ambitu fuit, ab artifice Graeco optimi artis saeculi nisi frontispicci forma factam non esse. Nihil igitur restat in tota Starkii conjectura, quod levissimam verisimilitudinis speciem habeat. Sed qua mihi videtur esse gravitate solus conatus novae conformationis facienda primus post Welckerum, quamquam iis, quae hucusque contra eum scripsimus, satis jam videtur refutatus, tamen omnia ejus argumenta percurram, et demonstrabo, ea aut plane falsa aut in hac re plane irrita et inutilia esse.

Et ex utroque simul laborant vitio, quae p. 327 de Scopa et Praxitele profert. Taceo, minime constare, ab his artificibus originem nostras statuas ducere, etiamsi eorum aetate confectas eas esse sumamus; sed accipiam quae de eorum arte et ingenio dicit, quasi de tempore, cuius principes illi erant, dictum esset. Sed quos ille enumerat progressus, equidem vere dici non posse existimo, sed interitus artis sive praesagia sive certa documenta, qua de re explicatius dicendum.

Primum igitur, p. 329, homines eo tempore magis quam antea compositiones permagnas soluta specie desiderasse contendit, quod peristyla in templis pseudodipteris tum inventis sculpturae lata spatia praebuerint. Et si sculpturae amplificationem ex capacibus ab architectura inclusis spatiis pendere putat, certe vera profert. Sed non progressum neque technices neque idea-

rum arte expressarum, ut putat p. 328, pseudodipteros inventus in architectura et in artis historia denotat, sed contrarium, et perverse judicat, eum „fein berechnet“ esse; neque enim haec templi forma respectis architectonices legibus innatis amplificatione tantum et idonea et consentanea orta est, sed relicta legum religione speciem affectat, cui structura non respondet. Nam contextus inter cellae muros et peristylium sic remotum interrupitur, et ne materia quidem huic formae apta est, quum glebae marmoreae, si recta crassitudinis mensura elaborantur, vix unius intercolumnii intervallum tegere, in duobus autem, etiamsi crassiores fiunt, quam bonum est, non diu tecti et suum ipsarum onus sustinere possint. Constat autem, quo tempore artifices neglecta artis ratione et materiae conditione non respecta ad speciem solam efficiendam se convertunt, tum artem non modo summam perfectionem transgressam esse, sed in ipso interitu jam multum profecisse.

Tum Stark p. 329 de architectonices ad magnas aras, ingentia monumenta sepulcralia ceteraque exstruenda usu eo tempore primum facto agit, quo plasticae arti majora opera proponebantur. Sed aut consulto, ut alios decipiat, neglexit, aut maximi momenti id esse plane non vidit, quod his ipsis operibus elementa a regionibus orientalibus Ariorumque arte repetita in Graecam artem irrepserunt, quae quo a Graeco ingenio alieniora erant, eo magis effeminata arte recipiebantur, et germanam Graecorum artem extirparerunt et compresserunt. Neque quidquam gloriae, ut p. 329 putat, coloniis Asiaticis ex ea re oritur, quod

prius quam patria terra ipsi Graecorum animo inimica elementa receperunt, sed excusari tantum eo possunt, quod viribus vicinis magis patebant et expositae erant. Ceterum quod novum sit, hoc eo ipso bonum esse, nemo facile, ne Stark quidem contenderit, neque tamen aliam causam video, cur Stark hoc apertum interitus signum inter progressus artis numeret, nisi forte ea tantum ratione, ut propositam sententiam demonstret; aut quod sculptura in operibus et pluribus et majoribus his aedificiis exerceri magis potuit. Sed cogitandum erat, quod quum per se elucet, tum sat multis exemplis illustratur, cum architecturae formis rudibus et barbaris luxuriae tantum rationem habentibus etiam sculpturae alium stilum aut in illis terris usitatum simul transferri, aut his aedificiis magis aptatum inveniendum esse. Qua in re nihil eo mutatur, quod Graecae artis principes tempus usum et ingenium in ejusmodi operibus exstruendis et ornandis interdum consumpsérunt, ut in **Mausoleo** ipse Scopas et fortasse etiam Praxiteles; sed documento potius hoc utendum, quo demonstretur, ne veteres quidem artifices in eligendis operum suorum argumentis liberos fuisse, sed mandatorum secundum voluntatem saepe in materiis minime fortasse sibi placentibus versatos esse.

Tertium autem est, quod et Scopae Praxitelisque summam auctoritatem („die eigenthümliche Bedeutung“) et communem gloriam („der gemeinsame Ruhm“) in compositionibus solutis positam esse ex marmore factis, p. 327, et scholam Atticam juniores Jonicamque eos hac via secutas esse dicit. Neque hunc veretur pro-

gressum artis vocare, quo sculptura se a tutela architecturae et a cultus postulatis liberet. Concedamus, per se vera haec omnia esse; sed etiamsi minime contendam, compositionem solutam opus summo quoque artifice indignum esse, tamen satis manifestum est, compositionem socialem ex primo arte definito sculpturae campo natam esse, quum adjecto demum motu et actione summa quaeque in plastica assequi licuerit. Patet igitur, summam artem incompositioне potius dramatica, quam in sociali effingenda versari, i. e. frontispicia et anaglypta opera elaborare, quam solutae speciei opera. Neque si ad haec potissimum ars se convertat facienda, progressum esse artis omnes concedent, sed remissioris animi documentum, et, ut breviter dicam, interitum. Quo vero jure ex artis labentis modo ac ratione nostri Niobidae recte judicentur, neque ego intelligo, neque quisquam praeter Starkium alias intelliget. Longe enim inter plerosque constat, nostras statuas stilo severo et sublimi proximas esse, i. e. nihil in iis inveniri, quod artem cadentem ostendat; et ipse Stark p. 332 eas potius Scopae quam Praxitelis esse opera censet. Itaque iterum quaero, cur talibus operibus ex temporibus et terris ab illis alienis lucem afferri placuerit. Cui quaestioni quam satis responderi non possit, meo jure ego posse dicere mihi videor, temere conflatis et plane nullis rationibus Starkii sententiam niti.

Quid quod, quas tertio loco posuimus et hucusque quasi vera accepimus, duabus de causis etiam in his ipsis argumentationibus haerendum est; primum enim non ita magni momenti erat, quod Scopas et Praxiteles

compositiones solutas eo usque ex aere fabricari solitas ex marmore factas proponere coepertunt, et ne recte quidem, quae de ea re dicit, se habent; tum plane falsum est contendere, illorum sculptorum gloriam maxime ex compositionibus solutis crebro et cum quodam studio et amore ab iis confectis natam esse. Nam neque constare videtur, ante eos compositiones solutas ex marmore factas nullas fuisse<sup>39)</sup>; neque si id solum eorum industria effectum esset, ut saepius quam antea et fere semper marmor in hoc genere operum aeri anteponi solitum sit, ne hac quidem in re progressum artis cerni censeo. Lubenter igitur concedo, antea omnes fere compositiones solutas ex aere factas esse. Qua in re scitum certe artificum cernitur judicium, quod insequentia tempora amisisse quam expolivisse et excoluuisse malim dicere. Sequitur enim ex variarum compositionum natura, ut soluta, ut quae architecturae cum compedibus etiam praesidium effugerit, magis collocari sub divo soleat, quam in locis undique definitis; et in maximam partem earum, quarum primum locum et dispositionem novimus, hoc quadrat. Compositionibus autem temperatatis iniquitati expositis aes magis quam marmor aptum est<sup>40)</sup>. Neque minus in heroibus et daemonibus illa ma-

<sup>39)</sup> Rarissime in compositionibus solutis apud veteres auctores de materia aliquid traditur, sed recte mihi videtur judicasse Welcker, Alte Denkmäler, vol. I, p. 261, eas maxima ex parte ex aere confectas esse. Sed tamen in Orphei et Teletes compositione cum bestiis propositarum in his marmor diserte commemorator (Paus. IX, 30, 3 [4]), quare elucet, a marmoris usum antiquiores quidem artifices plane abhorruisse.

<sup>40)</sup> Bene de hac re disputavit Vischer, Aesthetik. Reutlingen

teria huic praeferenda est, quum marmor in deorum simulaclris locum habeat. Sequitur, ut recte in deorum compositionibus illi artifices marmore usi sint, male autem egissent, si semper id in compositionibus solutis sub divo plerumque ponendis adhiberi voluissent, neque ea re artis perfectionem promovissent, sed prorsus removissent. Elucet igitur, Scopae et Praxitelis gloriam hac inventione ortam certe non ita magnam esse.

Prorsus autem falsa et perversa Starkii sententia illa est, neque ipsi credo vere probata, qua in compositione soluta e marmore facienda summam auctoritatem illorum artificum inesse censeat. Quae si qua esset, non talibus laudibus efferenda erat. Conferamus autem, quae hujus generis opera ipse a Scopa et Praxitele confecta affert<sup>41)</sup>), cum operum omnium numero et praestantia, ut intelligamus, per exiguum laboris partem eos in hoc genere consumpsisse, neque jure eos neque antiquitas neque nos inter artis principes nominaremus, nisi merita de arte majora haberent. Quae tamen in stilo magis quaerenda sunt, quam aliquo alio loco. Et pariter in eligendis argumentis atque in tractandis et perficiendis illi praecipua laude digni sunt, ut qui gratiam illam secundam, quam Winckelmann venustam nominavit, summa cum perfectione expresserint. Si vero

---

und Leipzig (Stuttgart) 1846—58. vol. III, § 607, not., imprimis p. 377.

<sup>41)</sup> Omitto ea a Plinio tantum uno plerumque verbo nominata esse, cuius quanta in hoc genere auctoritas sit, hoc loco omittam. Sed certe tot ejusmodi opera illis vindicat, ut vix fieri possit, ut tanto numero ab iis profecta sint.

compositionum generibus ab iis usitatis gloriae incrementum dari potest, hoc non ex hac forma oritur, sed ex simili potius omnium principatu<sup>42)</sup>). Et ne summa quidem quae sive ipsi<sup>43)</sup> sive artis existimatores antiquitatis et, quoad fieri potest, recentioris temporis habebant opera, ex compositionibus solutis sumpta sunt, sed prae ceteris ex singulis statuis. Itaque quum ex omni sculpturae genere similis iis jure attribuatur gloria, facile intelligitur, Starkium ea solum mente eorum auctoritatem non ab omni parte ponderasse, ut ex tali eorum caritate non justa colligere possit, etiam nostras statuas talis compositionis reliquias esse. Quid vero illa conclusione temerarius? Constat, et singulas statuas et compositiones minores et compositiones maximas partim sociales partim dramaticas utrumque artificem fecisse; quomodo igitur sana ratione aliquis concludere potest, etiamsi accederet, quod maxima eorum laus ex compositionibus socialibus nata erat, et etiamsi certissime constaret, ab iis etiam hanc compositionem recte originem ducere, qua dico ratione colligi inde potest, has Niobidarum statuas soluta specie fuisse dispositas, non aliter?

<sup>42)</sup> Si tamen uno genere prae ceteris gloriari possunt, hoc mihi quidem multo melius Friederichs, Praxiteles und die Niobe-gruppe. Leipzig 1855. p. 57, videtur indicasse. Dicit enim, quum Phidias singulis statuis summa cum sublimitate proponendis studuisset, ab his artificibus compositionem trium potissimum statuarum inventam esse, qua eandem ideam vario modo proponerent.

<sup>43)</sup> Cf. narratiunculam bellam de Praxitele et Phryne, Paus. I, 20, 1 — 2.

At in frontispicio proponi non poterant; id enim opinatur se demonstrasse; itaque compositio soluta erat. Recte fortasse concessa praemissa; sed non ideo, quod Scopas et Praxiteles magnam in compositione soluta adepti sunt laudem, sed quia sculpturae forma alia non datur. Neque vero hac demonstratione praeter dubitationem exploratum est et confirmatum, nostras statuas in linea recta et interpositis quidem columnis positas fuisse; quae forma quam levibus testimonii nitatur, jam expositum est; non in forma potius illa perspicuis documentis et secundum artis naturam commendata lineae curvatae. Quibus omnibus magis semper elucet, Starkii totam disputationem sine ullo fundamento errare, vim demonstrationis ne minimam quidem habere. Et ipse quidem praeter eas, quas nullas esse vidimus rationes, quas omnes satis refutatas a me esse confido, nullas affert; ego tamen ejus dispositionem etiam alia de causa accipi non posse, calculo insuper demonstrabo.

Vult enim Stark statuas inter columnas poni, qua in re ab illo non dijudicatur, utrum in una an in quattuor partibus porticus ponantur. Sed de quattuor templi lateribus vix cogitandum, quum non sit, quin concedat, compositionem totam uno aspectu terminari posse debere; et porticus, cuius in columnis interioribus hoc quodammodo fit, non facile ita parva invenietur, ut intercolumnia Niobidis expleantur; id quod etiam in templum illud cadit<sup>44)</sup>). Itaque nostrae statuae secun-

---

<sup>44)</sup> Libenter omitto, etiam ea re Starkii opinionem temere confitamat videri, quod ne talia quidem cogitavit.

dum Starkium in una columnarum serie steterunt. Quae res ipso statuarum a Starkio admissarum numero et natura magis etiam confirmatur. Vult enim Stark, quatuordecim liberos et praeter matrem paedagogum et nutricem fuisse sculptos, quarum statuarum, quum praeter matrem cum filia minima conjunctam quattor compositiones minores Stark invenit, numerus explendis tredecim columnarum intervallis sufficit<sup>45)</sup>), et huic columnarum numero in latere templi posito secundum optima antiquitatis exempla<sup>46)</sup> sex columnae in fronte respondent. Itaque habemus hexastylum peripterum<sup>47)</sup>. Quum vero porticum Graecarum mensurae certissimis legibus sint adstrictae, facile totius aedificii longitudinem et altitudinem possumus invenire, quoniam intercolumnii longitudinem novimus. Filius enim moribundus omnium et statuarum et compositionum maximam

<sup>45)</sup> Nolo omittere, in uno ordine aliam inconvenientiam obvenire: mater enim in duodecim intercolumniis medium tenere non potest.

<sup>46)</sup> Cf. Templum minus Paestanum, Concordiae Agrigentum, Thesei Athenis. Si  $n$  columnae sunt in fronte, latus habet  $2n + 1$ , quam normam in majoribus templis haec sequuntur: Parthenon Athenis (8 : 17) et Didymaeum Miletii (10 : 21).

<sup>47)</sup> Contra si in omnibus partibus essent disponendae statuae tetrastylo tantum et quadrato quidem opus esset, quae numquam reperitur forma. Accedit quod etiam in uno latere duae compositiones minores ponendae essent. Aut si compositio filii, in dextram fugientis cum Psyche solveretur, quod Stark p. 335 in tali distributione fieri vult, uni statuae locus plane deest. Aut si acciperemus, latera templi (sive porticus) solitam longitudinem habere, ita ut tres statuae vix cernerentur, insuper obliquam in uno latere compositionem haberemus.

longitudinem habet, i. e. in exemplo Florentino omnium minimo, Starkii igitur opinioni maxime favente, 1,587 metra. Neque puto 0,013 metrorum intervallum inter hujus figurae fines et columnas ab aliquo nimis spatiorum haberi, ita ut intercolumnia aequent 1,6 m. Tum quaeritur, utrum Doricis an Ionicis columnis sit utendum, qua in re ne quis me meum usum quaequivisse putet, utrumque ordinem computabo. Tamen quum Stark, salva Plinii de statuis nostris auctoritate rectissime certe, quum passim tum p. 331 Niobidas in Asia esse confectas dicat, Ionicis columnis templum ornatum fuisse verisimilius est, quam Doricis.

Itaque secundum Eduardum Falkener<sup>48)</sup> intercolumnia Dorica aequant 1,501 diametros columnarum, altitudo autem columnarum in Parthenone adhibitarum<sup>49)</sup> aequat 5,583 diametros. Intercolumnia Ionica aequant 1,943 diametros, altitudo columnarum 8,652 dia-

<sup>48)</sup> Proportiones partium architectonicarum ex his libris hausi: Eduard Hess, die Lehre von den Säulenordnungen der Griechen, abgeleitet von den Monumenten. Magdeburg 1835. J. E. Hummel, die Säulenordnungen nach Vitruv. Berlin 1840. James Stuart and Nicholas Revett, The antiquities of Athens. London 1762—94, in primis vol. II, cap. I, Parthenonem continens, et vol. III, cap. I. Theseum continens. Tum hoc loco usus sum tabulis quibusdam, quae inveniuntur in Eduardi Falkener, On the Mausoleum at Halicarnass, Mus. of class. Antiqu. I. Lond. 1851. p. 169—71.

<sup>49)</sup> De Parthenone sumitur, quod Falkener medium magnitudinem non dedit. Parthenonis mensurae circiter medium tenent omnes.

metros. Intercolumnia nostra autem sunt 1,6 metrorum.  
Habemus igitur has aequationes:

$$dd \text{ (Diametros Dorica)} = \frac{1,6}{1,501} \text{ m.} = 1,066 \text{ m.}$$

$$cd \text{ (Columna Dorica)} = 1,066 \cdot 5,583 \text{ m.} = 5,951 \text{ m.}$$

$$di \text{ (Diametros Ionica)} = \frac{1,6}{1,645} \text{ m.} = 0,823 \text{ m.}$$

$$ci \text{ (Columna Ionica)} = 0,823 \cdot 8,652 \text{ m.} = 7,321 \text{ m.}$$

Longitudo autem lateris templi tota aequat 12 intercolumnia + 13 diametros. Itaque Dorici templi latus (ld)

$$ld = 12 \cdot 1,6 \text{ m.} + 13 \cdot 1,066 \text{ m.} = 19,2 \text{ m.} + 13,858 \text{ m.}$$

$$\text{ergo } ld = 33,058 \text{ m.}$$

Ionici autem templi latus (li)

$$li = 12 \cdot 1,6 \text{ m.} + 13 \cdot 0,823 \text{ m.} = 19,2 \text{ m.} + 10,699 \text{ m.}$$

$$\text{ergo } li = 29,899 \text{ m.}$$

Ex quibus elucet, totam compositionem Niobidarum hoc modo collocatam distrahi per c. 33, event. 30 metrorum spatium, i. e. longitudinem circiter 5, event. 2 metris quam Parthenonis frontispicia majorem. In Parthenonis autem signis jam compositioni dramaticae figuris in medio positis representatae propter nimiam frontispiciorum magnitudinem socialis adjuncta est. Quae res aliter se habet in Niobidis, ubi neque esse potest compositioni sociali adjunctae locus, neque tale quid ex statuis ipsis colligitur.

Sed aliud jam exponam hoc loco, quod fere gravius est, ne unam quidem statuam spatiis sibi dati neque altitudinem neque longitudinem ita explere posse, ut ad hunc locum ornandum destinatae videantur esse, et ut aliquis recte dicere possit, legem illam Goethii his statuis quodammodo servari. Et maxime altitudo columnarum pro figuris interpositis immensa omnem com-

positioni magnitudinem adimit; et cum magnitudine aufert sublimitatem. Nam matris maxima statua in templo Dorico duas altitudinis quintas partes non superaret, in Ionico tertiam vix aequaret; filius minimus aut duas nonas aut duas undecimas partes haberet, de moribundo ut taceam, qui secundum Starkium rupi imponendus est altiori, sed tamen vel minima illa statua inferior erit mensura.

Contemplemur contra statuas ut ita dicam architectonicas, i. e. eas, quae ea mente elaboratae sunt, ut intercolumnia aut alias architecturae partes statuis aptas ornent, eas eodem atque columnas modo plinthorum et magnitudine et forma sibi respondere necesse est, et saepe altae basi impositae ita eminebunt, ut quasi per aëra volantes fere mediam totius intercolumnii partem teneant<sup>50)</sup>; quare efficitur primum, ut magis singulæ statuae per se valeant, neque aliter quam architecturae conditione omnibus aequæ imposta sibi videantur respondere, statua autem sola etiam inter columnas spatiū quodammodo suum ideale retineat; tum, ut magis statuae proportiones intercolumnii mensuris respondeant. Qua in re artificem juvat tales statuas plerumque quietas fingere, ut quadam laboris severitate et magnis durisque formis, architectonicis fere, hujus artis naturam quodammodo induant. Si vero, quod fieri potuit, etiam commotae statuae columnis interponebantur<sup>51)</sup>, hoc in parvis tantum aedificiis factum esse et recte fieri posse

<sup>50)</sup> Conferendae hoc loco sunt saltatrices illae Pompejanae.

<sup>51)</sup> Quod utrum in Nereidum ut vocatur monumento fuerit necne non audeo dijudicare.

existimo, et ita quidem, ut statuae intercolumniorum latitudinem fere expleant. Accedit quod tales statuae specie saltem spatium suum superne clausum ita habere possunt, ut si altis fundamentis aediculae impo-nuntur, statuae ab imo conspectae vertice summum cel-lae parietem tangere videantur. Neque in talibus sub-tilissimis scenographiae effectibus veteres artifices per-fectionem quandam adeptos esse negari potest<sup>ss)</sup>). Quo-rum omnium ita in Niobidas nihil videtur quadrare, ut omni ex parte Starkii sententia plane collabatur.

Et magis fortasse, quam iis, quae antecedunt, iis errat, quae de praestantia statuarum nova dispositione aucta profert. Primum enim quod putat, perfectionem („die relative Selbstständigkeit“) singularum statuarum hoc demum modo recte cognosci, omnes concedent, quod jam saepius dictum est, has statuas per se fere intelligi non posse, et talem excitationem supplementum quasi flagitare, quod tamen interpositis columnis iis afferti non potest<sup>ss)</sup>). Quid enim dicam, acriter fugientibus figuris, si praesertim relationem inter se com-munem habent, inter columnas locum non esse? Vere-tur qui videt, ne allidiantr ad columnas, quum prae-sertim pars retro spectent neque videant, quod sibi hac ex parte immineat periculum. Quae res in Nereidibus non ita vexat animum, quod neque singulae statuae

---

<sup>ss)</sup> Cf. historiam illam de Phidiae et Alcamenis certamine. Tzetzes, Chil. VIII, 193. Brunn, Gesch. d. gr. Künstler I, p. 195.

<sup>ss)</sup> Jahn, Archäol. Aufs. p. 24 sic judicat: „Die Säulen heben den Zusammenhang auf, und stören die Beziehung auf den ge-meinsamen Mittelpunkt.“

relationem habent inter se, neque cursus se proripiens propositus est, sed laetitiae magis saltatio.

Tum secundum Starkium, p. 330, sua sponte singulae statuae majoribus intervallis ponuntur, id quod quum motibus vehementissimis („Excentricität der Bewegung“) postuletur, tamen in frontispicio fieri non possit. Sed Starkium cogitasse vellem primum, etiam in Aegineticis frontispiciis singulas statuas ita magnis intervallis disjunctas proponi, propter brachia protensa et crura reposita, ut fere quadratis locis utantur lineis directis separabilibus. Tum vero, si ita nostrae statuae compositae fuerint, ut partes aliarum eminentes lacunas quasi aliarum supplerent, hac ipsa re contextum compositionis elementorum compositioni dramaticae tam necessarium effici, neque quidquam restare, quam compositionem claram et perspicuam, anaglyphis optimis similem. Si vero columnae statuis interponerentur, illae ipsae lacunae jungendis omnibus figuris artificis consilio inservientes spatii vacui taedium excitarent.

Deinde dicit, p. 331, membrorum parallelismum nimium inter columnas naturalem esse; qua in re haec non vidit: Primum ille parallelismus, quem columnae non modo excusare sed etiam flagitare et procreare possint, linearum tantum directarum est, ut quae in statuis architectonicis praeponderent omnes, et ab ipso columnarum in architectura fine et voluntate orientur, quum haec statuarum membra parallela ad libellam redacta et obliqua sint, quorum si iteratione et repetitione pondus amplificatur, vis columnarum dignitatem interrumpere magis videtur, quam severam architecturae

legem sequentia totum templum ornare. Ipsa autem signa perlustrantibus duo tantum, quod equidem videam, tales occurunt parallelismi, quae excusatione egeant, inter Niobes brachium sinistrum et Nutricis<sup>54</sup>), quae primum secundum Starkium longo intervallo dirimuntur, ita ut parallelismus vix animadverti, certe non laedere possit; tum vero nos existimamus, hanc Nutricem a nostra compositione alienam esse, ita ut parallelismus plane non sit. Alterum parallelismi exemplum est filiorum in dextram et in sinistram fugientium, quorum brachia protensa, si alter a tergo, alter a fronte conspicitur, similem habent motum et viam. Sed primum ipse Stark illum filium a sinistra parte putat esse conspiciendum, id quod mihi sane non probatur, neque hoc modo est parallelismus; tum hos quoque filios non alterum juxta alterum ponit, ita ut si esset, non posset observari; deinde varia vestis ratione et diverso habitu hic parallelismus non ita offenderet, etiamsi conjuncti proponerentur. Reliquorum vero membrorum parallelismi non sunt nisi qui corporis humani structura efficiantur, et neque offendunt neque excusationem desiderant.

Oculis autem totam compositionem terminari posse, qua in re suaे restitutionis virtutem et laudem esse Stark putat, p. 331, jam supra jure negavimus. Quae autem, ibidem, de spectatoris loco dicit, in iis quoque duae res offendunt; prima, quum de parva altitudinis inter statuas et spectatorem distantia loquatur, quam hoc loco missam faciam, quum inter rationes fronti-

---

<sup>54</sup>) Apud Welckerum no. 11.

spicio oppositas tractanda sit, ubi vera hujus argumenti vis elucet. Tum vero contendit, spectatorem partes statuarum anticas tantum videre, id quod eo solum pacto fieret, si aequa atque Nereidum monumentum templum sive heroum Niobidarum statuis ornatum supra fundamento altissimo jaceret, neque adiutui pateret. Sed tamen hoc neque in tanto aedificio facile fieri potest, et prioribus repugnat. In porticu autem templi aditum permittente singulae statuae etiam ab aversis partibus conspiciuntur, sane non tota compositio. Sed haec libenter praetermittam.

Ipse autem enuntiatione illa rhetorica, quam in fine hujus capititis posuit, p. 331, sententiam de se ipse pronunciasse mihi videtur, quum dicat, nos „die volle straffe Einheit“ frontispiciorum amisisse, sed collectionem statuarum reportasse<sup>65)</sup>). Etenim neque illa in tali argumento desiderari neque haec actionem in unum collatam exprimere potest. Neque recte existimo vexatum („beherrscht“) frontispiciorum recens repertorum contemplatione et inflammatione illud de arte judicium appellari, quod inter Aegineticas compositiones similitudinem et inter Niobidas recognoverit, sed auctum potius atque emendatum.

---

<sup>65)</sup> Cf. contra Cockerellium l. l. p. 7.

---

## V I T A.

---

Ego Bruno Ludovicus Julius Boguslaus Meyer natus sum a. 1840 a. d. IV. Cal. Jul. Kempis, quae urbs est magni ducatus Posnaniensis, patre Ludovico Meyer, medicinae doctore, regis physico regionis Schildbergensis, quo jam inde a prima aetate orbus doleo, matre Emma e gente Thiel, quam adhuc superstitem summa cum reverentia colo venerorque. Confessionem profiteor evangelicam. Educatus sum Berolini apud aviam maternam, quam ad omnes jacturas mea causa facendas paratam cognovi, et adhuc vivam pio gratoque animo prosequor semperque prosequar. Litterarum tirocinia absolvi in schola coloniae Francogallicae, cui eo tempore Berlin rector praeerat, vir summe venerandus, tum a. 1849 ad Leucophaeum Berolinense me contuli, quod directore Bellermann et tum floruit et etiamnunc floret, et quod, quum morbo gravissimo per complures annos ab omni scientiarum cultu prohiberer, usque ad annum 1860 frequentavi, quo anno examine maturitatis superato rectore celeberrimo Boeckh civibus académiae Fridericae Guilelmae Berolinensis rite adscriptus sum, et apud illustrissimum Trendelenburg, eo tempore decanum ordinis philosophici nomen professus sum, ut quum linguarum veterum et philosophiae tum artium historiae studio me dederem. Itaque viros audivi per quadriennium illustrissimos hosce: Arndt, Boeckh, Droysen, Franz, Friederichs, Gerhard, Guhl, Haupt, Mommsen, Steinthal, Trendelenburg, Weber, Werdener. Quibus omnibus, ut quisque de me optime meritus est,

gratias ago quam maximas et gratum animum conservabo, spe-roque fore ut aliquando me talibus viris non sine fructu usum esse possim probare. Prae ceteris autem Ernesto Guhl, prae-matura morte scientiae et amicis (quo nomine hujus viri, qua erat comitate, etiam discipuli gloriari possunt) abrepto, ne hoc quidem loco gratum animum possum non confiteri, neque dicere, quam carus mihi licet non ita longa — eheu! — consuetudine fuerit.

---

## THESES.


---

- I. Niobidae sana artis ratione aliter atque frontispicii forma disponi non possunt.
- II. Non artifices ipsi, sed qui artium et historiae et naturae cognoscendae operam et studium navarunt, de arte artisque operibus judicium optime ferre possunt.
- III. Graecae architecturae fontes neque ex arte Aegyptiaca neque ex antiquissimo structurae genere de ligno factae, neque vero, ut facit Kugler, ex utraque simul origine derivandi sunt.
- IV. In Sophoclis Oedipo Rege anachronismus est, vss. 758 sqq., consulto a poëta admissus.
- V. Valde peccarunt, qui Aeschyli Choëphoros et Sophoclis Euripidisque Electras ea mente inter se comparaverunt, ut de arte et ingenio poëtarum in componendis tragoeidiis aliquid cognoscant.
- VI. Spinozae propositionem Ethices partis secundae XVIII: „Si corpus humanum a duobus vel pluribus corporibus simul affectum fuerit semel, ubi mens postea eorum aliquod imaginabitur, statim et aliorum recordabitur“ — falso ut legem necessariam enuntiari censeo.
- VII. Nulla est metaphysica pulchritudinis, quae quasi mundum artifici exstruat (Vischer, Aesthetik, I. praef. p. III.), sed ipsum artificis ingenium artem et normam pulchritudinis procreat.









Digitized by Google